



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1710

30. Dies Augusti. Peccatori exordium est illuminationis; Humilitas
confessionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45477

30. DIES AUGUSTI.

Peccatori exordium est illuminationis ; Humilitas confessionis. *S. Gregor. l. 23. Mor. c. 9.*

Confes- I. **S** Edisti in tenebris , & in umbra
sio pec- mortis , dum fuisti contaminatus
torum. noxâ mortali , ut illumineris , hu-
milieris. Profrtere te peccatorem ,
confitere peccata , & omnia tibi erunt munda , dum
illuminaberis ab eo , qui illuminat omnem hominem
venientem in hunc mundum. Esto ipse tibi & Ju-
dex , & carnifex , ut nec inimicus in te reperire possit ,
quod accuset , nec supremus Judex , quod con-
demnet. Nec longè tibi eundum est , ut Judicem
adeas : nec laborandum , ut invenias : in te ipso est ,
imò , tu ipse. Est hoc monitum D. Augustini : (a)
*Ascende tribunal mentis tue , esto tibi Judex : torqueat
te timor.* Non potest negare , quæ commisisti. Ha-
bes , qui te criminis infimulabunt , mille testes : ha-
bes , qui veritatem extorqueant , tortores : testis tu
ipse , & actor rea conscientia , tortor. Peccatum ip-
sum , in hoc tribunali contra peccatorem adfert te-
stimonium. Ne metuas : magis in te eris pius , quò
magis sævus : quo eris severior tui accusator , eo op-
portunior eris defensor. Patrocinantur mihi Petrus
Blesensis : (b) *Dixi , Confitebor , & tu remisisti impie-
tatem peccati mei. Si peccatum tuum aperias , dicit
Dominus illud operio : si agnoscis , ignosco : si accusas
excuso : si te judicas , & condemnas , te nec judico nec con-
demno.* Igitur damnat se , qui se non damnat. Optimū
tribu-

(a) *In Psal. 49.* (b) *In Job. c. 3.*

tribunal, in quo confessus auerigitur ad veniam, ad
ad pœnam.

II. Fluit planè ambrosiâ, dum hæc scribit
mus Ambrosii: (a) Confessio tua pœnitens, medicus
est: ipsa te curat, nec patitur vulnus tuum. pati pœnitentiam:
nem: sed mox; ut ingemueris, super inducit inde
bulem cicatricem. Nemo te, crede mihi, melius respiciet
quàm, qui fecit: nec alius iustificat, quàm, qui flagellavit.
Et curat. Mox, ut dixeris vitium tuum, illico imperator
adjutorium suum? hoc tantum expectat, ut satiaris
mora non erit ut saneris. Quid facilius, quàm con-
tracta tot debita, Deo solvere, ubi debiti confessio
ejusdem est absolutio? Oigitur, quanta pervicacia
hominis rei! aut scelus non agnoscere, aut si agnoscat,
non erubescere, aut si erubescat, accumulata
Dementia verius est, quàm pœnitentiæ: adhuc peccari,
cachinnari, & alium, se voce, gestu, habitu
quàm reum habere. Accipe, ex Aureo ore, aureum
placitum: (b) Confusio est, peccare, non confiteri peccata:
nunc autem neque necessarium presentibus rebus
confiteri: cogitatione fiat delictorum exquisitio, ut
que teste sit hoc iudicium. Solus Deus confitentem
deat: Deus, qui non exprobrat peccata tua: sed solvit
peccata propter cōfusionem. Persuasum habe, quod
quis nunc confiteatur, omnino illic confitebitur, ubi
pior traductio. Hic absque teste iudiciū, & in qui
casti, condemnas. Illic autem, in medium totius
theatrum producentur omnia, nisi hic prius detegant
omnia. Confunderis cōfiteri peccata tua, cōfundere ad-
mittendo, Dic tu prior peccata tua, ut iustificeris. Quis
confunditur de opere, a quo sit justus? Quis confunditur

[a] De Pan. c. 3. [b] Chrysostr. ser. de pœnit. & confit.

Augustus.

confiteri peccata, ut solvat peccata? Num ideo jubet
confiteri, ut puniat? non ut puniat, sed ut ignoscat.

III. Quis convictus enormis criminis, & à su-
premo Judice condemnatus ad rogam, si erecto
in umbilico fori ferali theatro, molestâ indutus tu-
nica, ac vestepicea, tortore jam rogam succedende,
si possit tam atroci se absolvere non modò flagitio,
sed supplicio, unicâ prolatâ vocalâ; quisquamve
tam foret inops mentis, tantum cruciatum perferre,
quàm verbum unicum proferre? Quis si ad tantam
deductus esset inopiam, ut nec haberet, sub quo de-
litesceret, tectum: cui insideret, scamnum: in quo
quiesceret, stratum: quo se teneret, filum: quo se pa-
teret, panem: sed, ut alter Job nudus, & omnibus
fortunis exutus, in olido jaceret, & squalleret fime-
to, possetque unius verbi beneficio; stare repentè in
supremo felicitatis fastigio, & ex Codro fieri Cræsus,
& mutare sæculentum sterquilinum, in Regium
solium: posse ne dari homo, qui hoc recusaret;
Confer jam statum hominis gratiâ privati, & letali
noxâ contaminati, cum statu hominis, qui ab homi-
num memoria, judicatus est, fuisse omnium homi-
num calamitosissimus: majus est discrimen, quàm
inter minimum punctum, & immensum spatium:
quàm inter atomum, & totum cælum: & tamen
proferendo, non, ut David voce, sed tacito corde,
Peccavi: sis repentè ex servo peccati, mancipio dia-
boli, reo gehennæ, inimico Dei, non tantùm amicus,
sed Filius Dei. Cave ergò celare scelus. Est enim il-
lud nimis quàm certum:

Crimina si celes: tibi claudes ostia cali.

31. DIES